



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Humeri, Cervix.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

Humeri, Cervix,

Imporium super humerum eius. If. 9. Prædicitur ibi Principatus Christi, quem Cruce humeris impositâ promeritus est. Christus ovem perditam, humanum genus imponit in humeros suos gaudens. Luc. 15. Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno. Sophon. 3. Omnes gentes ante finem mundi, ad Christum convertentur. Benedicta familia domus, in qua omnes unanimi consensu serviunt Deo. Dederunt humerum recedentem (à mandatis Dei) & cervicem suam induraverunt, nec audierunt. 2. Esdræ 9. Qui id queritur de Judæis, & ego de Christianis, religiosi non servantibus regulas suas. O quàm bonum est jugum istud portasse ab adolescentia. Ab humero & sursum eminebat super populum. 1. Reg. 9. Saul. Sed nec in ipso, nec in gigante Philisthæo, nec in Eliab fratre Davidis procero habebat complacentiam suam Deus, sed in parvo innocente Davide. Sola magnitudo est, esse magnum coram Domino. Populus dura cervicis Exod. 34. cucurrit (peccator contra Deum) adversus eum erecto collo, & pingui cervice (in prosperis) armatus est. Job. 15. Pro anima mea (dicit Paulus de Prisca & Aquila) cervices suas supposuerunt, quibus ideo gratias agunt cuncta Ecclesia gentium. Rom. 16. Eisdem Indi vobis agunt & agent O Viri Apostolici; quod pro animabus eorum salvandis cervices vestras

vestras supposueritis, & supponatis. Sit benedictum Seminarium, ex quo tales viri procedunt.

Genua.

JUd. 7. Tantùm à Domino in prælium contra Madianitas assumpti sunt trecenti viri, qui aquam bibituri pedibus erectis, corpore incurvato hauserunt in volâ manûs aquas, & ad os trajecerunt. Cæteri rejecti, qui *curvatis genibus* prostrato corpore caput in ipsas aquas inclinârunt, & instar bovis tantum hauserunt uno quasi spiritu aquarum; quantum libebat. Posteriores symbolum sunt hominum potui commoditatibus corporis, inertix addictorum, & se terrenis immergentium. Posteriores symbolum temperantium & fortium. Cùm nec hoc quidem quietis aut refocillationis sibi indulserint; ut genibus inflexis & ore propius admoto aquam commodiùs & abundantius haurirent. *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal.* 3. Reg. 19. Pauci respectu tot Israelitarum idola colentium. Sed an sunt respectivè plures apud Christianos in diversis statibus ac professionibus, v.g. inter Principes, Aulicos, Ministros, Magistratus, Causidicos, Mercatores, Milites, &c. qui non curvant genua, vel adorant idolum aliquod, nummos, Venerem, Bachum, respectum humanum, &c. *Curvabo genu Deo excelso.* Mich. 6. *Flecto genua mea ad Patrem.* Ephes. 3. *Omne genu flectatur caelestium, terrestrium & infernorum.*